



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

65. An moribundus nulla signa contritionis ostendens possit sub conditione absolvi? Quod idem dicendum est de Sacerdote, qui in confessione generali fieri solita in principio Missae amittit loquelam, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Absol. Sacramentali. Ref. LXIV. &c. 261

6. est actus judicialis, sed iudicium non exercetur, ubi accusatio nulla est; ergo.

6. Nec valet dicere cum Homobono, & Mollesio ubi supra, quod moribundus in tali casu forsitan interius habeat attritionem; nam respondeo cum Zambrano de cas. occurrentibus tempore mortis, cap. 4. dub. 2. sect. 8. num. 46. & cum omnibus Theologis, attritionem, vel contritionem interiore non esse confessionem, sed signa externa contritionis esse confessionem peccati in genere, nam materia Sacramentorum debet esse sensibilis, quae non adest in casu nostro; ergo nullo pacto adhibenda erit absolutio.

7. Firmat etiam hanc sententiam Concil. Arausic. l. c. 12. ubi sic habetur. Subito obmutescens baptizari, aut penitentiam accipere potest, si voluntatis praeterita testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu; vide quomodo Concilium requirit materiam sensibilem; quae etiam postulat Concilium Carthaginense II. c. 34. & IV. c. 76. cum Decretali Leonis I. ad Theodorum Foriolensem, quae est epist. 91. unde apparet, semper in Ecclesia cautum fuisse, ne moribundus absolvatur, qui aliqua signa non dedisset, per quae aliqua confessio, & accusatio haberi censetur; & ideo Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 4. sic ait Patres & Doctores non aliter permittunt Penitentiae sacramentum moribundo obmutescenti ministrari, nisi antea sacramentalem absolutionem verbis, aut signis petiverit. Ita ille cum Reginaldo tom. 1. lib. 8. cap. 3. n. 25. Turriano de pan. q. 9. art. 2. dist. 30. dub. 1. ad 3. argum. Bellochio de cas. refer. part. 1. q. 2. n. 116. Pitigiano in 4. sent. tom. 2. dist. 17. q. unica, art. 8. concl. 3. Yribarne in tom. 2. dist. 18. q. unica, dist. 16. sect. 5. Valquez in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. n. 1. & aliis.

8. Nec urget, quod cum talis moribundus bene vixerit, praesumitur habere confitendi voluntatem, nam respondetur, quod Concilium Tridentinum, & Florentinum asserunt materiam huius Sacramenti esse actus penitentis; ergo non sufficit voluntas confitendi, sed oportet confessionem esse actualem; saltem in nutu, aut vocatione Confessarii.

9. Et sic satis explicata sunt quinque dubia, quae in principio Tractatus discutenda proposuimus, placitis DD. circa praesentem quaestionem innixa.

RESOL. LXIV.

An Confessarius possit absolvere sub conditione moribundum, qui neque petiit confessionem, nec ullum signum dedit?

Et an sit licitum Confessario absolvere à peccatis mortis proximum sensibus destitutum, etiam si nulli sint praesentes, qui testentur illum petiisse confessionem, aut signa contritionis dedisse, dummodo alius absens qui illum vocavit, fidem de petita ab eodem confessione prius illi fecerit?

Et an sit absolvendus & sub conditione Sacerdos, qui inchoata Missa post introitum, & si corpore prius sanus, voce amissa, cadens ad interitum rueret? Ex part. 4. tract. 4. Ref. 92.

§. 1. Negativam sententiam ego docui in 3. part. tract. 3. resol. 8. cum multis Doctoribus, quibus adde Petrum Ochagaviam de Sacram. tract. 2. de Confess. sacram. quest. 17. n. 14. & Guillelmum Mercetum in addit. ad 3. part. D. Thoma q. 9. art. 2. in dubio, num. 9. qui respondet ad quandam auctoritatem D. Augustini.

2. Veram ibi pro affirmativa sententia adduxi Homobonum, Mollesum, Litteratum & Gregori. XV. quando erat Archiep. Bononiensis, nunc ad Barfolom. à S. Faustino in moral. serm. 2. lib. 4. quest. 204.

quia, ait ille, si potest dari absolutio sub conditione, quando dubitatur, an penitens habeat usum rationis, vel an sint peccata, nulla est ratio convincens, cur id fieri non possit; similiter sub conditione, quando talis hic nullum signum dedit contritionis, & alius devotus erat, & frequentabat confessionem & communionem, nam potest esse, pro ut in dubio praesumitur, ut quis sit memor salutis aeternae, & quod interius habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè dispositus sit recipere sacramentalem absolutionem, & de attritu fiat contritus, praesertim quia nulla fit injuria huic Sacramento, sub conditione impertitur absolutio, unde si non reperiretur dispositus, absolutio habetur pro non data, & sic prodesse, non autem nocere potest, nec fit irreverentia Sacramento; & in confirmationem huius refertur quoddam casu cadebat Roma quidam ex fabrica D. Petri, & reperiebatur ibi Clemens VIII. Pont. Max. vir sapientiss. & vidisset illum cadentem; quod dederit ei absolutionem his verbis; Si tu es capax absolutionis, ergo te absolvo. Ita Faustus loco citato. Et tandem novissimè, posse in tali casu absolutionem per modum suffragij adhiberi, docet doctus Jacobus Bayus Professor Sac. Theol. in Academ. Lovaniensi in insit. Relig. Christ. lib. 2. cap. 91. & quia codex raris est, ponam ejus verba. Caterum ait, an repente loquelam & sensum ac omnem intelligentiam dependens sine ulla praevia confessione, nulloque signo peculiari in ordine ad claves, ne vel in communi dato absolvi possit, majorem habet difficultatem, cum enim absolutionis sententia per modum iudicij & causa cognitione proferenda sit, nullaque hic peccatorum confessio, vel iudicij materia reperitur, absolutionis sententia impendi nequit; attamen per modum suffragij absolutionem adhiberi, nihil vetat inclusa conditione tacita, vel expressa, in quantum possum, & quatenus capax es. Ita Bayus; sed ego, ut dixi, negativam sententiam tenendam esse puto, nec aliter in praxi faciendum esse existimo.

3. Notandum est etiam hic Philibertum Marchianum in tract. de bello divino, seu de peste, part. 3. c. 13. n. 15. docere, quod licitum est Confessario absolvere à peccatis mortis proximum sensibus destitutum, etiam si nulli sint praesentes, qui testentur ipsum petiisse confessionem, aut signa contritionis dedisse, dummodo alius absens qui illum vocavit, fidem de petita ab eodem confessione prius illi fecerit. Ita ille, ubi etiam num. 19. docet, absolvendum esse sub conditione Sacerdotem qui inchoata Missa post introitum et si corpore prius sanus, voce amissa cadens ad interitum rueret; quia praebens signa penitentiae & Missam inchoans dispositus iudicandus est ad sacramentalem absolutionem recipendam, eo vel maxime quod in articulo mortis quilibet quocumque pietatis signo virtualiter confessionem in votis habere censetur, cum unusquisque in mortis discrimine optimo, quo potest, remedio animae suae providere praesumatur. Sed haec omnia non admittunt Doctores, quos ego ipse citavi ubi supra, resol. 7.

Sup. hoc ut in annot. ult. huius Ref. Sup. hoc supra in Ref. §. 6. §. ult. & infra in Ref. seq. §. Pelizzarius.

Quae hic est Ref. 1. post praeteritam, & in aliis ejus primae, & secundae annot.

RESOL. LXV.

An moribundus nulla signa contritionis ostendens possit sub conditione absolvi?

Quod idem dicendum est de Sacerdote, qui in confessione generali fieri solita in principio Missae amittit loquelam, ac usum sensuum, quod possit absolvi sub conditione ex vi talis confessionis. Ex part. 9. tr. 6. & Misc. 1. Resol. 20.

§. 1. Difficilis quaestio: & idèdè saepius ad illam pertractandam calamum sumo: & quia

à pluribus per litteras instanter rogatus fui an præter Doctores à me *alibi* adductos, alios haberem pro opinione affirmativa tuenda, illos hic non gravabor apponere: sic ita asserit Petrus Marchant. in *Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 4. tit. 4. dub. 7.* [Sed ad primam partem hujus quartæ responsionis in favorem animarum revertamur, in qua dixi, quòd quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum penitentia, aut desideratæ, sive postulatae Confessionis; nihilominus possit sub conditione absolvi, sive absolvendum esse. Cui responsioni, quamvis nonnulla *superius* dicta videantur adversari; illam tamen sic declaro. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso, nullum mihi signum appareat, quòd materiam Confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde certo constet, peccatorem sic obmutescentem de peccatis, aut salute cogitare; imò nec appareat eum ratione uti: potest tamen fieri, ut non tantum intus de peccatis doleat, confiterique desideret; sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus, aut alij in corpore motus, qui, etsi doloris corporalis, aut naturæ patientis sint ordinariè signa; nihilominus ab ipso peccatore quandoque ordinantur, ut interna penitentia nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneris, ac charitatis in hac extrema necessitate satisfacio; & conditio omnem irreverentiam, & defectum, qui subesse possent, tollit, & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Ministris Ecclesiæ, quæ, ut *suprà* dicebat S. Augustinus, nullum ex hac vita sine artha suæ pacis exire velle debet. Confirmor in hac ignotorum signorum declaratione, eo, quòd mihi semel extremo periculo post Extremam Unionem laboranti, & per omnia sensuum operatione destituito contigit. Sensibus omnibus destitutus eram, excepto auditu: ratione autem, & judicio fimo, & recto intus utebar, ita ut cum me deficere, & ex Medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præstare. Unde mirum est, si fortè genui aliquo, vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illa non notarent, nisi fortè ut eram signa naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quòd, si quovis modo aliquem Catholicum sic oppressum, reciperem, nec signum aliquod mihi intelligibile penitentia dare posset; nihilominus sub conditione absolverem, eo quòd fortè aliquod signum penitentia edat, etsi mihi incognitum: cum (ut dixi) hoc sit charitatis, & conditio omnem defectum auferat, qui in administratione Sacramenti contingere possent.

2. *Lezana in Summa qq. Regul. tom. 3. verb. Confessio, num. 11.* [Majus dubium est in casu, quo nec moribundus Confessionem postulavit, nec signa contritionis dedit, nec est aliquis, qui id testetur, an scilicet, tunc absolvi possit, aut debeat modo dicto, scilicet, sub conditione? Affirmant Molseus in *Summa, tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48. & 49.* Homobonus in *exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 18. quest. 84.* & alij, eò quòd dicant, Clement. VIII. ita fecisse cum quodam, quem ex fabrica S. Petri præcipitem mere videbat; & quia credunt, quòd eo ipso, quòd homo est bonus fidelis, in tali casu vellet confiteri sua peccata. Sed negant communiter Doctores: tum, quia Concilia relata solum loquuntur, quando moribundus petivit Confessionem: tum, quia absolutio non potest dari sine actuali Confessione, quæ in hoc casu non extat. Valquez in 3. part.

tom. 4. quest. 91. art. 2. dub. 1. Diana *suprà*, * *resol. 1. casu. 8.* Lugo *suprà, sect. 3.* Ego verò, licet hanc sententiam eundem lententiam probabiliorē credam; primam tamen non reputo omnino improbabilem, eò vel maxime quòd existimem, omnes fideles in eo periculo constitutos, si vel per modicum tempus sui compotes existant, non solum actu interno Confessionem desiderare, sed externo actu id desiderium semper manifestare; quòd videtur virtualis quædam Confessio, pro absolutione conditionatè concedenda. Sed alij iudices sunt.]

3. *Averla de Sacram. Penit. quest. 10. sect. 18.* [At in casu extreme necessitatis, quando moribundus non aliter confessus est, nec confiteri potest si fortè edidit aliquod Confessionis signum, & de hoc Sacerdos prudenter dubitet, quamvis id ei non notificetur, quia nec ipse, nec alius adfuit præsens, ut percipere posset tale signum, tunc si detur absolutio, fortè valebit, & idèò sub conditione impertienda est tali moribundo. Ita se habuit casus ille, qui narratur de operario lapsò à fabrica D. Petri, & absoluto à Clemente Pontifice: poterat enim prudenter dubitari, illum in cadendo inclamasse Confessionem, quamvis nullus id audire, vel nuntiare posset: idèò pie illi poterat absolutio sub conditione impendi. Et inutile profus est, quòd respondet Manriquez, ubi *suprà*, potuisse id fieri à Pontifice, quia est supra omne positivum jus. Certè enim hoc non dependet ex positivo jure humano, sed ex jure divino in instituendis Sacramentis, supra quòd non est Pontifex: quare id similiter poterat, & in omni simili casu posset quilibet Sacerdos. Sic, quando dubitatur, non quis ex angustia mortis, vel ex compunctione cordis signa ediderit, conceditur debere sub conditione absolvi. Item, si quis solitarius existens repentino casu confessus, ex desiderio suæ salutis Confessionem inclamet, & alius fortè pertransiens eum audiat, idque nuntiet Sacerdoti, poterit sanè absolvi: ergo etiam in casu, quo nullus audire, vel nuntiare poterit, si dubitari possit, illum edidisse aliquod signum, (locus dubitandi aderit, quando tunc non constet oppositum), impertienda ei erit sub conditione absolutio. Quando enim non potest haberi materia certa Sacramenti, licitum est tentare conficere cum materia dubia; in Sacramentis, inquam, ad salutem necessariis, qualia sunt Baptismus, & Penitentia. Quare, sicut in extrema necessitate licitum est baptizare in aliquo liquore, de quo dubitaretur an sit aqua naturalis, quando certa aqua haberi non posset: ita in extrema necessitate licitum erit absolvere in dubio Confessionis, quia, si fortè moribundus eo modo, quo potuit, Confessionem petiit, jam adhibuit ex parte sua materiam necessariam, se aliquo modo accusando, & officium Judicis implorando; & ad hoc sacrum Tribunal confugiendo; & idèò cum hoc dubio materia poterit adhiberi absolutionis forma. Et ita in praxi Lugo ex auditu narrat, in Belgio fieri à multis Confessariis, qui milites in bello moribundos, etiam si nulla signa dare possint, absolvunt.]

* 4. Pellizzarius Societatis Jesu in *Man. Regul. tom. 1. tit. 5. cap. 3. sect. 1. n. 60.* [Utrum verò Religiosus Sacerdos, qui in Confessione generali fieri solita in principio Missæ amittit loquelam, ac usum sensuum, possit sacramentaliter absolvi ex vi talis Confessionis, qua ille se confessus est peccatorem, dicens: *Quia peccavi nimis cogitatione, verbo, &c.* Respondeo, non posse, eò quòd talis Confessio non sit sacramentalis, nec in ordine ad claves, (prout requiritur ad absolutionem); sed oratio quædam ad alium finem prolata. Ita Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 8. n. 4.* & alij contra Marchinum *tract. de peste, part. 3. cap. 13. num. 15.*

Sap hoc late supra in Ref. 56. & in tom. 4. tit. 1. Ref. 155. a principio usque ad ult.

num. 15. cuius opinionem puto defendi posse, non quidem, quòd hæc Confessio sit sufficiens ad absolutionem sacramentalem; sed ob doctrinam à nobis tradendam, nimirum posse absolvi illum, qui sensibus omnino destituitur, & nullo pacto petit confessionem, si contet, illum fuisse solum vivere more Christiano, &c.] Quam doctrinam postea firmavit in tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 114. ubi testatur ex fide dignis; talem doctrinam docuisse, & practice Theologicæ Scholæ fulgentissimum lumen Suarez, & per se literas à se consultos tradidisse Patrem Nicolaum Baldellum, & Patrem Antonium Naldum, viros ex eorum Operibus impressis satis notos. Vide omnino dictum Pellizzarium.

5. Victorianus Premoli ex eadem Societate in Memoriali Cleric. part. 4. cap. 1. num. 14. [Sexto, scire debet nunquam licere absolvere absentem, quicquid aliqui in contrarium dixerint. Ita enim declaravit Clemens VIII. licet tamen absolvere moribundum, etiamsi nullum poenitentiae signum det in presentia Confessarii, si tamen aliquis testetur, ostendisse confitendi desiderium. Ita docet Rituale Pauli V. & etiam supra diximus. Imò addit Sacerdotale pag. 62. ex doctrina D. Antonini: posse etiam absolvi moribundum afflictum frequentare Confessionem, quamvis repentino casu oppressus, Sacramentum non petierit. Neque solum potest Confessarius in his duobus casibus absolvere: sed etiam debet, quia contingere potest, moribundum esse tantum attritum, unde damnetur, nisi absolvat, ut de priori casu dicit Suarez.] Et tandem Tamburinus Societatis Jesu in Methodo expeditæ Confessionis, edito Romæ 1647. lib. 2. cap. 16. §. 1. n. 11. sic ait: [Nonnulli Doctores putant, ejusmodi moribundum satis superque petere Confessionem per mores Christianos tota vita sensibilibiter peractos: atque adeò putant absolvi posse, saltem sub conditione, si est capax absolutionis: idcirco in praxi censeo posse, saltem sub conditione dicta: imò propter tam urgentem instantis mortis necessitatem, etiam debere. Ratio est: quia per conditionem cavetur injuria Sacramenti: & ex alia parte consultitur, quantum fieri potest, saluti moribundi, qui in tali articulo præsumi saltem attritus potest.] Ita ille.

6. Et hanc sententiam novissimè mordicus tenet Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 5. quest. 46. omnino videndus. Idem etiam docuit Janfenius penes Lessium in 3. part. D. Thome. quest. 9. art. 2. dub. 2. num. 20. præter Mollesum, Homobonum, Faulstum, Anthonium de Litteratis, & alios, quos ego, ut dixi alibi, per extensum adduxi: quibus adde ex Societate Raynaudum de Martyris, part. 2. cap. 3. num. 7. Virum doctum, & amicitissimum.

7. Et idè Joannes Caramuel in Theol. moral. lib. 3. disp. 4. n. 1542. putat, Confessarium teneri hanc sententiam in praxim deducere: ita enim ait: [Præter votum, juramentum, præceptum, etiam proximi necessitas cogit hominem mutare dictamen probabile. Non posse absolvi, qui nullum signum dederit, quo videatur actualiter petere Confessionem, sentis quidem probabilissimè: tibi enim viri doctissimi consentiunt: & tamen te peccatum esse mortaliter, si non mutes dictamen, assero: cum moribundo, omnibus sensibus destituto, qui nullo signo externo Confessionem petit, occurris. Ratio est clarissima: ille enim est in extrema necessitate constitutus, in periculo æternæ damnationis, & jure fraternæ charitatis teneris eum adjuvare, si potes: ergo & teneris ipsum absolvere, id enim potes: quia tamen non possis operari contra tuum dictamen, potes illud prudenter mutare, & opinioni probabili

subscribens, illi absolutionem concedere.] Ita ille. His tamen minimè obstantibus, puto sententiam supradictorum Authorum non esse omnino tenendam; sed omnino negativæ sententiæ adhaerendum. Et ita docent communiter Doctores per ea, quæ alibi à nobis dicta sunt, &, me citato, docet etiam Eminentissimus Cardinalis de Lugo de poenit. disp. 17. sect. 3.

Alibi in Re & §§. assignatis in annot. prima hujus Ref.

RESOL. LXVI.

An Confessarius non solum possit, sed teneatur adhibere absolutionem in casibus supradictis; quia ex duabus opinionibus semper est eligenda illa que favet poenitenti; & quia in supradictis casibus Confessarius administrando Sacramentum cum opinione probabili, nullam illi injuriam infert? Ex parte 3. tr. 3. Ref. 9.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, & ita docent Regius in resol. cas. conf. cas. 39. num. 16. Turrianus de poenit. quest. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. Suarez tom. 4. disp. 23. sect. 1. num. 15. Megala in 1. part. lib. 2. cap. 11. num. 8. Joan. de la Cruz in direct. part. 2. de sacrament. Poen. quest. 3. dub. 8. concl. 2. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 10. num. 106. Memoriale Greg. XV. de forma sacram. Poen. cap. 1. num. 17. Filiucius tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 123. Sylvius in 3. quest. 9. art. 2. quaritur 4. Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. num. 38. & alij, quia cum hoc licite possit facere, vel ex charitate, vel ex justitia (si ipsius pastor est) ad hoc obligatur; quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent; quia cum hanc sententiam possint in praxi tunc sequi propter suam probabilitatem, idque fit saluti moribundi valde expediens, aut etiam necessarium, si solum sit attritus, ad hoc, ut diximus, vel ex charitate, vel ex justitia tenentur. Igitur Sacerdotes nolentes moribundum in tali casu absolvere, rectè Vasquez ubi supra vocat reos, & necatores animarum.

Sup. hoc in Ref. præterita pro parte in §. Victorianus, ad medium, veri. Neque, & in §. ult. ad lin. 8. vers. tamen, & lege doctrinam Resi not. seq.

2. Non desinam tamen etiam hinc apponere sententiam Montefini in part. 2. disp. 26. quest. 5. num. 245. & Joannis Sancij in selectis, disput. 44. numer. 35. ubi sic ait: Advertendum quòd licet opinio negans, posse per nutus, & signa poenitentem in extremis constitutum absolvi, ne videlicet irritum fiat Sacramentum, sit in favorem Sacramenti, & opinio affirmans, absolvi posse, sit in favorem suscipientis; ex dictis duabus opinionibus semper eligenda est illa, quæ favet poenitenti, cum Sacramenta instituta sint ut medicinæ suscipientium, unde Sacramentum juri suo cedit, ut ita dicam, ex periculo irritationis exponi non agrè fert, eò quòd salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur suscepto Sacramento, quam si illud non ministraretur, & tibi violatio charitatis imminet, aut Religionis, charitas amplectenda est, & hæc violaretur non administrando Sacramentum infirmo indigenti, ex administratione verò solum violaretur Religio. Ita Sancius.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 1. Ref. 3. & in aliis eius primæ not.

3. Igitur cum aliquis perplexus est inter duo præcepta simul occurrentia, strictius erit adimplendum; sed cum magis obliget charitas, quam Religio; ergo in casu nostro tenetur Confessarius potius adhibere absolutionem in favorem poenitentis, quam illam denegare in reverentiam Sacramenti; sed melius dicendum est; quòd in tali casu Confessarius administrando Sacramentum cum opinione probabili, nullam illi injuriam infert; ergo tenetur ratione charitatis erga proximum ei illud administrare.

RESOL.